

pas pour elles une occasion de péché, et s'il ne s'y passe rien de scandaleux, j'aurais peine à condamner les confesseurs qui leur donneraient l'absolution, supposé que l'évêque ne l'ait pas défendu. 4^e Comme très-souvent il y a du péril dans la danse, et qu'il arrive souvent que celles même à qui elle n'est pas une occasion de péché, s'y attachent trop, les confesseurs peuvent leur donner pour pénitence de s'en abstenir pour plus ou moins de temps, selon qu'ils les trouvent disposées et qu'ils jugent que cela leur est nécessaire, et leur refuser l'absolution si elles ne veulent pas le promettre.

Je crois que la prudence est bien nécessaire dans ces occasions.

Pius doctor dicit eidem episcopo, se in hujusmodi difficultatibus solitum esse proponere prudens consilium S. Augustini, qui de sensu commensationes et ebrietates per Africam in coemeteriis, in memorias martyrum, frequentari sub specie religionis, ait Aurelio episcopo, Epist. 22 (t. 2, p. 28): *Non ergo asperè, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docendo quàm jubendo, magis monendo quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine: severitas autem exercenda est in peccata paucorum.*

Docebant Cajetanus et Azor choreas non prohibendas esse diebus dominicis et festivis, tum quia sunt signa lætitiæ, et cum fiant publicè, magnum in eis non est periculum mali; tum quia præbent aditus ad matrimonium; tum quia rustici, nisi sic occuparentur, otio, pri-

vatis colloquiis, vel malis machinationibus cum majori periculo vacarent. Rectius tamen judicat Sylvius, t. 3, p. 801: *Rusticos non esse quidem arcendos à choreis perinde ac si chorizantes hoc ipso peccarent mortaliter; bonis tamen monitionibus et persuasionibus esse ab hujusmodi retrahendos, quia, ut plurimum, in illis choreis multa peccata contingunt, etiam si publicè agitentur; nec facile est ea peccata vitari, dum ea permittuntur.* En summarium doctrinæ nostræ.

Quæ de choreis diximus, servatâ proportionè, dicenda sunt de congressibus nocturnis, vulgò nuncupatis *veillées*: in his tamen tanta communiter non sunt pericula quanta reperiuntur in illis. Cæterum omnes sedulo pensandæ sunt circumstantiæ ut de utrisque rectè judicetur: si hujusmodi cætus inter cognatos, vicinos, amicos, personas moribus præditas fiant, multo minus sunt periculosi: à laxitate igitur et à nimiâ severitate pari curâ caventes, justum semper teneamus medium.

§ IV. — De spectaculis.

Apud omnes in confesso est spectacula per se non esse mala: undè tragoediæ in collegiis etiam religiosissimis olim repræsentatæ sunt. Si ergo fabulæ theatrales non essent turpes, nec accendendis libidinibus idoneæ, eas repræsentare et, à fortiori, eis repræsentatis adesse liceret.

Quoniam verò, ut communiter fieri solent,

periculosæ sunt, vel ratione sui, vel ratione adjunctorum, quædam hic statuenda sunt principia ad praxim attinentia.

1° Qui componunt vel repræsentant comœdias notabiliter turpes, nullo modo à peccato gravi excusari possunt, ob aliorum scandalum, quamvis ab ipsis non intentum; ita theologi etiam severitatis non suspecti, ut *S. Antoninus*, *Sylvester*, *Angelus*, *Sanchez*, *S. Ligorius*, etc. Nec certè magnum lucrum indè proveniens afferri potest tanquàm ratio excusans: alioquin non videretur cur ipsum meretricium sic excusari non posset.

2° Pecuniâ vel plausu ad repræsentationem hujusmodi comœdiarum notabiliter turpium concurrere, adhuc esset peccatum mortale, quia positiva est cooperatio ad actionem mortaliter peccaminosam. Sic, adversùs nonnullos theologos, *S. Ligorius*, l. 3, n° 427, qui testatur se oppositæ sententiæ adhæsisse, et opinionem mutavisse.

3° Scenis notabiliter turpibus interesse, ob delectationem indè consurgentem, peccatum est mortale, ut patet: si verò ob solam curiositatem aut vanum solatium id fiat, secluso periculo consensùs in rem veneream, quidam æstimant peccatum esse duntaxat veniale: verùm laxior est ista decisio, et mortale reputandum est peccatum, tum propter periculum, tum propter scandalum, tum propter cooperationem ad actionem mortaliter malam.

4° Comœdias tragœdiasve non multum turpes componere vel in theatro repræsentare, à

mortali communiter excusari non potest, propter periculum hujusmodi ludis annexum, et ob scandalum exindè pro aliis exurgens.

Actores et actrices in concilio Arelatensi, anno 314, can. 5, fuerant excommunicati, et ab hinc temporis saltem velut infames, si non semper ut excommunicati, habiti erant in Galliâ, ut ex antiquis Ritualibus constat. Hæc autem nota, propter circumstantiarum immutationem, et etiam propter doctrinæ et morum aliarum regionum cognitionem et diffusionem, in desuetudinem venisse videtur, nec communiter in novis Ritualibus tractatibusque moralibus de istius modi personis ut antea judicatur. Quid circa ipsas sive in tempore paschatis, sive in articulo mortis sit agendum, videbimus infrâ.

Modò diximus in *Galliâ*, quia in Italiâ, in Germaniâ, in Poloniâ, in aliisque regionibus, viri et mulieres ab Ecclesiæ sacramentis non excluduntur præcisè ob scenas theatricas quibus inserviunt, sed liberum est confessariis eas admittere vel repellere, secundum naturam repræsentationum ad quas concurrunt.

5° Si scenæ theatriæ non sint notabiliter turpes, nec modo turpi repræsentatæ, eis adesse, secluso speciali periculo et scandalo, non est peccatum mortale: actio enim scenis theatricis sic repræsentatis assistendi non potest esse peccatum mortale, nisi in quantum esset cooperatio ad professionem illicitam actorum: verùm ea professio non est in se semper et absolutè illicita; et insuper assistentia hujus vel istius personæ, secluso speciali scandalo,

non est ad illam gravis cooperatio; ergo, etc. Ità Sanchez, S. Ligorius et communiter theologi, præsertim extranei.

Si rationabilis causa necessitatis, utilitatis vel decentiæ statûs suaderet alicui personæ ut spectaculis non turpibus, nec sibi graviter periculosis, adesset, nullo modo peccaret; quia tunc daretur ratio sufficiens peccatis aliorum sic remotè cooperandi et cuidam periculo se exponendi. Hinc spectaculis hujusmodi sine peccato assistere possunt, 1° mulieres conjugatæ, ne marito imperanti displiceant; 2° famuli et famulæ, ut dominis suis inserviant; 3° filii et filiæ familiâs, si parentes id præcipiant; 4° milites et magistratus, ut bonum ordinem servandum curent; 5° reges et principes, ut affectionem subditorum sibi concilient; 6° aulici qui principem comitari tenentur, etc., modò puram habeant intentionem, et delectationi carnali fortè assurgenti non consentiant.

Princeps de Conti, Nicole, Bossuet, Desprez de Boissy ex professo contra spectacula scripserunt; auctor operis dicti, Comte de Valmont, Fromageau, Pontas et ferè omnes theologi nostri ea damnaverunt; ipse J. J. Rousseau, in longâ et eloquenti epistolâ ad d' Alembert, fortiter ea improbavit. Multi alii citari possent, ut Racine, Bayle, la Mothe, Gresset, Riccoboni, qui pericula theatrorum noverant, et idcirco vel dolebant eis serviisse, vel optabant ea supprimi posse.

Non intendimus certè tot illustribus viris adversari, nec ullo modo contendere volumus

eos damnando spectacula erravisse aut rigidiores fuisse. Libenter dicemus cum P. Alexandro (t. 10, in-8°, p. 358): *Spectaculorum et comediarum frequentatio periculosa est castitati, et multis modis animæ noxia: undè vix absque peccato interesse spectaculis et comædiis christianus potest.*

Sed ex eo quòd spectacula sint periculosa, rectè sequitur quidem christianos omni curâ ab eis avertendos esse, non verò omnes qui sine causâ excusante eis intersunt, semper mortaliter peccare et absolutione indignos esse: qui sermonibus vel scriptis, morum integritatem procurare vel defendere volunt, attendunt solummodò quid licitum vel illicitum sit in ludis theatricis, et fusiùs exponunt momenta quibus ostenditur consecraria eorum esse pernicioso, multaque colligunt testimonia Patrum, conciliorum et doctorum hanc veritatem confirmantia. Verùm hîc statuimus régulas pro confessariis: debemus ergo, quantum possumus, peccatum mortale à veniali distinguere, quia longè aliter ducendus est qui peccati mortalis est reus, quàm qui solo veniali inquinatur.

Itaque, 1° non absolvendos communiter judicamus actores et actrices, etiam in articulo mortis, nisi professioni suæ renuntient ob rationes superius allatas.

Attamen, non putamus sacerdotem ad ejusmodi personas vocatum, absolutè, sub poenâ denegationis absolutionis, hanc renuntiationem exigere debere. Satius erit ab eis obtinere, si etiam fieri possit, quòd, recuperatâ sanitate,

decisioni episcopi, de eâ re consulti, obtemperare sint paratæ. Si autem revixerint, episcopus videbit utrùm, attentis omnibus circumstantiis, statim deserenda sit professio, an verò quædam mora admitti possit.

Patet etiam majorem indulgentiam ergàatricem conjugatam ac sub potestate mariti positam, adhibendam esse.

Neque etiam iis qui absolutionis digni habentur, deneganda est sacra communio, nisi fortè, propter peculiarem scandali rationem, quæ obiter occurrere potest.

Si hujusmodi personæ ad sacramenta suscipienda, tempore paschatis, accedant, nec renuntiatio professioni suæ obtineri nequeat, consulatur, deficiente regulâ ab ipso editâ, et si fieri possit, episcopus.

2° Eodem modo, imò et majori cum indulgentiâ agendum est ergà eos qui ad repræsentationes theatrales proximè concurrunt, ut famulæ quæ actrices vestiunt, aut qui vestes ad solum hunc usum destinatas ex professo vendunt, locant aut conficiunt; sedulò attendendum est ad naturam repræsentationum, vestium indecentiam, ipsorum proprium periculum, et alia hujusmodi. 3° Non absolveremus poetas qui componunt fabulas amoribus illicitis plenas in theatro repræsentandas, nisi scandalum, pro posse, se reparaturos et certò ab istius modi operibus cessaturos promittant. 4° Nec eos qui scenis theatricis assistendo, grave prebent scandalum, ut essent personæ virtutibus christianis conspicuæ, nisi gravi necessi-

tate premerentur; 5° eos qui propter circumstantiam personalem grave subeunt periculum libidinis; 6° nec eos qui sine causâ rationaliter excusante frequentissimè istiusmodi ludis intersunt, etiamsi nec grave periculum incurrerent, nec scandalum præberent; quia talis consuetudo cum vitâ christianâ conciliari non potest.

Absolveremus, è contrâ, pro communione paschali, 1° omnes qui causam sufficienter excusantem habentes, non peccant; 2° eos qui aliquoties duntaxat, vel ex quibusdam circumstantiis tantùm, spectaculis non per se notabiliter inhonestis assistunt, seclusis et periculo et scandalo; 3° eos qui ad repræsentationes theatrales non proximè, aut solummodò leviter concurrunt, v. g., aulam theatralem verrendo, ædificium instaurando, etc.

Cæterum, in plerisque regionibus extraneis, confessarii absolutionem non denegant poenitentibus qui scenis theatricis, ut communiter repræsentari solent, ex solâ curiositate vel animi relaxatione, sine gravi periculo, assistunt; nec idcirco eis qui ad repræsentationes non turpes remotè vel proximè concurrunt.

S. Franciscus Salesius, confitendo spectacula, sicut choreas, esse periculosa, ab omni peccato tamen excusat eos qui sine affectione inordinatâ eis assistunt. *Les jeux, les bals, les festins, les pompes, les comédies en leur substance ne sont nullement choses mauvaises, ains indifférentes, pouvant être bien et mal exercées, toujours néanmoins ces choses-là sont dange-*

reuses, et de s'y affectionner, cela est encore plus dangereux. Je dis doncque, Philothée, qu'encore qu'il soit loisible de jouer, danser, se parer, ouyr des honestes comédies, banqueter, si est-ce que d'avoir de l'affection à cela, c'est chose contraire à la dévotion, et extrêmement nuisible et périlleuse. Ce n'est pas mal de le faire, mais ouyr bien de s'y affectionner (Introduction à la vie dévote, 1^{re} partie, ch. 23).

Nostra igitur doctrina, circa saltationes et spectacula, à principiis, quæ tantus magister in pietate tradebat, non recedit.

Queritur quid sentiendum sit de professione et spectaculis histrionum.

R. Circa histriones eorumque spectacula hæc habet S. Thomas, 2, 2, q. 168, art. 3 ad 3^{um}: *Ad omnia autem quæ sunt utilia conversationi humanæ, deputari possunt aliqua officia licita. Et ideò etiam officium histrionum, quod ordinatur ad solatium exhibendum hominibus, non est secundum se illicitum: nec sunt in statu peccati, dummodò moderatè ludo utantur, id est, non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis..... Undè illi qui moderatè eis subveniunt, non peccant, sed justè faciunt, mercedem ministerii eorum eis tribuendo. Si qui autem superflue sua in tales consumant, vel etiam sustentent illos histriones qui illicitis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccato foventes.*

Alii theologi huic sententiæ S. Thomæ generaliter subscribunt, advertentes hujusmodi

homines sapius, nunc præsertim, sine fide et moribus sese exhibere. Si autem professio histrionis per se non sit illicita, à fortiori vel nullum, vel saltem non mortale est peccatum ludos histrionum, per se non turpes nec proximo nocentes, ex curiositate aspicere. Nec similiter spectaculis nonnullorum brutorum, v. g., equorum, adesse. Attamen cavendum ne aliquod præbeatur scandalum, quod fieret communiter, si religiosus, monialis, vel clericus secularis talibus ludis adesset, præsertim coram laicis, aut si quid minus honestum fieret, vel ludentes periculum vitæ incurrerent, ut non rarò in ludis equorum accidit.

CAPUT QUINTUM.

DE CAUSIS, EFFECTIBUS ET REMEDIIS LUXURIE.

§ I. — De causis luxuriæ.

Præcipuæ et frequentiores causæ peccatorum luxuriæ sunt:

1^o Intemperantia in escâ et maximè in potu: *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens (Prov. 20. 1.); Nolite inebriari vino, in quo est luxuria (ad Eph. 5, 13). Appendices gulæ, lascivia et luxuria (Tertul., lib. de Jejun.).* Experientia autem continua hanc doctrinam confirmat.

2^o Otiositas quæ multam malitiam docuit (*Eccl. 33, 29*), nimius somnus, lecti mollities aut calor, ludi, oblectationes et delicia vitæ.